

Illustrissime cardinalis,

Rogatus sum a nostris ut mitterem institutiones Calvinianas
isthuc in gratiam P. Eudaemon Johannis qui suscepit bellum contra
novi temporis haereses, V. Illust. D^{ne} volente, et probante hominis
ingenium, monitusque sum ut ad eam dirigerem libellum quod facio.
Unum rogatum velim bonum illum athletam, ut abstineat ab omni con-
vicio, et ab ipsa convicii umbra. Vix credi potest quam sint huc
exacerbati animi, non modo hostium apertorum sed etiam catholicorum
qui magno in numero sunt ea sententia inclusi B. Joh.: Nomen habes
quod vivas, et mortuus es. Accidit enim nostra imprudentia, saepe
et imperitia rerum gerendarum ut in multorum offensionem incurre-
rimus, ut plurimum sit detractum de celebri illa opinione antiqua,
neque puto eam posse stabiliri nisi singulari quadam suavitate ser-
monis, cum non vulgari sapientia.

Dominatio tua Ill^{ma} ignoscat si arrogantius scribo; discipuli
erga magistrum ratio quaedam est similis importunissimi infantis
erga matrem. Urget etiam nonnihil nos Christi caritas et huius so-
cietatis amor. Dom. Cancellarius huius regni monuit nos ut cum R.P.
Generali libere ageremus de accersendis viris primariis cuiusvis
regionis ut in collegio isto Parisiensi legant quando instaurabi-
tur: daturumque se operam pollicetur, ut nihil obstet superiorum
annorum edictum id vetans. Hoc consilium cum R.P. Generali solum
tractandum est; scio enim et hic, et Romae esse ex nostris qui id
sint impedituri. Ita caritas illa primaeva cecidit, hei mihi qua-
lis erat! His me Illustriss. Do. V. SS. Sacrificiis commendo.

Parisiis 8. 8^{bris} 1610.

Illustrissimae Dominationis Vestrae

Servus inutilis et indignus discipulus

Johannes Gonterius.